

## CAPUT CLXXXVIII.

*De ligno scientiae boni et mali, et primo hominis praecepto.*

Quia vero praedictus status hominis ex hoc dependebat quod humana voluntas Deo subjiceretur; ut homo statim a principio assuefieret ad Dei voluntatem sequendam, proposuit Deus homini quaedam praecepta, ut scilicet ex omnibus aliis lignis paradisi vesceretur, prohibens sub mortis comminatione, ne de ligno scientiae boni et mali vesceretur: cujus quidem ligni esus non ideo prohibitus est quia secundum se malus esset, sed ut homo saltem in hoc modico aliquid observaret ea sola ratione quia esset a Deo praeceptum: unde praedicti ligni esus factus est malus, quia prohibitus. Dicebatur autem lignum illud scientiae boni et mali; non quia haberet virtutem scientiae causativam, sed propter eventum sequentem; quia scilicet homo per ejus usum experimento didicit quid intersit inter obedientiae bonum, et inobedientiae malum.

## CAPUT CLXXXIX.

*De seductione diaboli ad Evam.*

Diabolus igitur, qui jam peccaverat, videns hominem taliter institutum ut ad perpetuam felicitatem pervenire posset, a qua ipse deciderat, et nihilominus posset peccare; conatus est a rectitudine justitiae abducere, aggrediens hominem ex parte debiliori, tentans feminam, in qua minus vigeat sapientiae donum vel lumen: et ut in transgressionem praecepti facilius inclinaret, exclusit mendaciter metum mortis, et ei illa promisit quae homo naturaliter appetit, scilicet vitationem ignorantiae, dicens (Gen. 3, 5): "Aperientur oculi vestri:," et excellentiam dignitatis, dicens: "Scientes bonum et malum.," Homo enim ex parte intellectus naturaliter fugit ignorantiam, et scientiam appetit; ex parte vero voluntatis, quae naturaliter libera est, appetit celsitudinem et perfectionem, ut nulli, vel quanto paucioribus potest, subdatur.

## CAPUT. CXC.

*Quid fuit inductivum mulieris.*

Mulier igitur repromissam celsitudinem simul, et perfectionem scientiae concupivit. Accessit etiam ad hoc pulchritudo et sua-

vitae fructus, alliciens ad edendum; et sic metu mortis contempto, praeceptum Dei transgressa est, de vetito ligno edendo: et sic ejus peccatum multiplex invenitur. Primo quidem superbiae, qua inordinate excellentiam appetiit. Secundo curiositatis, qua scientiam ultra terminos sibi praefixos concupivit. Tertio gulae, qua suavitate cibi permota est ad edendum. Quarto infidelitatis, per falsam aestimationem de Deo, dum credidit verbis diaboli contra Deum loquentis. Quinto inobedientiae, praeceptum Dei transgrediendo.

## CAPUT CXCI.

*Quomodo pervenit peccatum ad virum.*

Ex persuasionem autem mulieris peccatum usque ad virum pervenit, qui tamen, ut Apostolus dicit, non est seductus, ut mulier, in hoc scilicet quod crederet verbis diaboli contra Deum loquentis. Non enim in ejus mente cadere poterat, Deum mendaciter aliquid comminatum esse, neque inutiliter a re utili prohibuisse. Allectus tamen fuit promissione diaboli, excellentiam et scientiam indebite appetendo. Ex quibus cum voluntas ejus a rectitudine justitiae discessisset, uxori suae morem gerere volens, in transgressionem divini praecepti eam secutus est, edendo de fructu ligni vetiti.

## CAPUT CXCL.

*De effectu sequente culpam quantum ad rebellionem virium inferiorum rationi.*

Quia igitur dicti status tam ordinata integritas tota causabatur ex subjectione humanae voluntatis ad Deum, consequens fuit ut subducta humana voluntate a subjectione divina, deperiret illa perfecta subjectio inferiorum virium ad rationem et corporis ad animam: unde consecutum est ut homo sentiret in inferiori appetitu sensibili, concupiscentiae et irae et ceterarum passionum inordinatos motus non secundum ordinem rationis, sed magis ei repugnantes, et eam plerumque obnubilantes, et quasi perturbantes: et haec est repugnantia carnis ad spiritum de qua Scriptura loquitur. Nam quia appetitus sensitivus, sicut et ceterae sensitivae vires, per instrumentum corporeum operatur, ratio autem absque aliquo organo corporali; convenienter quod ad appetitum sensitivum pertinet, carni imputatur; quod vero ad rationem, spiritui, secundum quod spirituales substantiae dici solent quae sunt a corporibus separatae.

## CAPUT CXCIII.

*Quomodo fuit poena illata quantum ad necessitatem moriendi.*

Consecutum est etiam, ut in corpore sentiretur corruptionis defectus, ac per hoc homo incurreret necessitatem moriendi, quasi animatum non valens corpus in perpetuum continere, vitam ei praebendo: unde homo factus est passibilis et mortalis, non solum quasi potens pati et mori ut antea, sed quasi necessitatem habens ad patiendum et moriendum.

## CAPUT CXCIV.

*De aliis defectibus qui consequuntur in intellectu et voluntate.*

Consecuti sunt in homine per consequens multi alii defectus. Abundantibus enim in appetitu inferiori inordinatis moribus passionum, simul etiam et in ratione deficiente lumine sapientiae, quo divinitus illustrabatur voluntas dum erat Deo subjecta, per consequens affectum suum rebus sensibilibus subdidit, in quibus oberrans a Deo multipliciter peccavit, et ulterius immundis spiritibus se subdidit per quos credidit in hujusmodi rebus agendis<sup>1</sup> acquirendis sibi auxilium praestari; et sic in humano genere idolatria et diversa peccatorum genera processerunt: et quo magis in his homo corruptus fuit, eo amplius a cognitione et desiderio bonorum spiritualium et divinorum recessit.

## CAPUT CXCV.

*Quomodo isti defectus derivati sunt ad posteros.*

Et quia praedictum originalis justitiae bonum sic humano generi in primo parente divinitus attributum fuit, ut tamen per ipsum derivaretur in posteros; remota autem causa removetur effectus; consequens fuit ut primo homine praedicto bono per proprium peccatum privato, omnes posteri privarentur; et sic de cetero, scilicet post peccatum primi parentis, omnes absque originali justitia et cum defectibus consequentibus sunt exorti. Nec hoc est contra ordinem justitiae, quasi Deo pu-

<sup>1</sup> Forte agendis et acquirendis. An redundat vox agendis?

niente in filiis quod primus parens deliquit: quia ista poena non est nisi subtractio eorum quae supernaturaliter primo homini divinitus sunt concessa, per ipsum in alios derivanda: unde aliis non debebantur, nisi quatenus per primum parentem in eos erant transitura: sicut si rex det feudum militi, transiturum per ipsum ad haeredes; si miles contra regem peccat, ut feudum mereatur amittere; non potest postmodum ad ejus haeredes devenire: unde juste privantur posteri per culpam parentis.

## CAPUT CXCVI.

*Utrum defectus originalis justitiae habeat rationem culpae in posteris.*

Sed remanet quaestio magis urgens: utrum defectus originalis justitiae in his qui ex primo parente prodierunt, rationem culpae possit habere. Hoc enim ad rationem culpae pertinere videtur, sicut supra dictum est, ut malum quod culpabile dicitur, sit in potestate ejus cui imputatur in culpam. Nullus enim culpatur de eo quod non est in eo facere vel non facere. Non est autem in potestate ejus qui nascitur, ut cum originali justitia nascatur, vel sine ea: unde videtur quod talis defectus rationem culpae habere non possit.

Sed haec quaestio de facili solvitur, si distinguatur inter personam et naturam. Sicut enim in una persona multa sunt membra, ita in una humana natura multae sunt personae, ut participatione speciei multi homines intelligantur quasi unus homo, ut Porphyrius dicit. Est autem hoc advertendum in peccato unius hominis, quod diversis membris diversa peccata exercentur; nec requiritur ad rationem culpae quod singula peccata sint voluntaria voluntate membrorum quibus exercentur, sed voluntate ejus quod est in homine principale, scilicet intellectivae partis. Non enim potest manus non percutere aut pes non ambulare voluntate jubente. Per hunc igitur modum defectus originalis justitiae est peccatum naturae, in quantum derivatur ex inordinata voluntate primi principii in natura humana, scilicet primi parentis; et sic est voluntarium habito respectu ad naturam, voluntate scilicet primi principii naturae; et sic transit in omnes qui ab ipso naturam humanam accipiunt, quasi in quaedam membra ipsius: et propter hoc dicitur originale peccatum, quia per originem a primo parente in posteros derivatur: unde cum alia peccata, scilicet actualia, immediate respiciant personam peccantem; hoc peccatum directe respicit

naturam. Nam primus parens suo peccato infecit naturam, et natura infecta inficit personam filiorum, qui ipsam a primo parente suscipiunt.

## CAPUT CXCVII.

*Quod non omnia peccata traducuntur in posteros.*

Nec tamen oportet quod omnia peccata alia vel primi parentis, vel etiam ceterorum, traducantur in posteros: quia primum peccatum primi parentis, sustulit donum totum quod supernaturaliter erat collatum in humana natura personae primi parentis; et sic dicitur corrupisse vel infecisse naturam: unde peccata consequentia non inveniunt aliquid hujusmodi quod possint subtrahere a tota natura humana: sed auferunt ab homine aut diminuunt aliquod bonum particulare, scilicet personale; nec corrumpunt naturam, nisi in quantum pertinet ad hanc vel illam personam. Homo autem non generat sibi similem in persona, sed in natura: et ideo non traducitur a parente in posteros peccatum quod vitiat personam, sed primum peccatum quod vitiavit naturam.

## CAPUT CXCVIII.

*Quod meritum Adae non profuit posteris ad reparationem.*

Quamvis autem peccatum primi parentis totam humanam naturam infecerit, non tamen potuit per ejus poenitentiam vel quodcumque ejus meritum tota natura reparari. Manifestum est enim quod poenitentia Adae, vel quodcumque aliud ejus meritum, fuit actus singularis personae; actus autem alicujus individui non potest in totam naturam speciei. Causae enim quae possunt in totam speciem, sunt causae aequivocae, et non univocae. Sol enim est causa generationis in tota specie humana, sed homo est causa generationis hujus hominis. Singulare ergo meritum Adae, vel cujuscumque puri hominis, sufficiens esse non poterat ad totam naturam reintegrandam. Quod autem per actum singularem primi hominis tota natura est vitiata, per accidens est consecutum, in quantum eo privato innocentiae statu, per ipsum in alios derivari non potuit. Et quamvis per poenitentiam redierit ad gratiam, non tamen redire potuit ad pristinam innocentiam, cui divinitus praedictum originalis justitiae donum concessum erat. Similiter etiam manifestum est quod praedictus originalis justitiae status fuit

quoddam speciale donum gratiae; gratia autem meritis non acquiritur, sed gratis a Deo datur. Sicut igitur primus homo a principio originalem justitiam non ex merito habuit, sed ex divino dono; ita etiam, et multo minus post peccatum eam mereri potuit poenitendo, vel quodcumque aliud opus agendo.

## CAPUT CXCIX.

*De reparatione humanae naturae per Christum.*

Oportebat autem quod humana natura praedicto modo infecta, ex divina providentia repararetur. Non enim poterat ad perfectam beatitudinem pervenire, nisi tali infectione remota: quia beatitudo cum sit perfectum bonum, nullum defectum patitur, et maxime defectum peccati, quod aliquo modo virtuti opponitur, quae est via in ipsam, ut dictum est. Et sic cum homo propter beatitudinem factus sit, quia ipsa est ultimus ejus finis, sequeretur quod opus Dei in tam nobili creatura frustraretur: quod reputat inconveniens Psalmista, cum dicit, Psal. 88, 48: " Numquid enim vane constituisti omnes filios hominum? " Sic igitur oportebat humanam naturam reparari.

Praeterea. Bonitas divina excedit potentiam creaturae ad bonum. Patet autem ex supra dictis quod talis est hominis conditio quamdiu in hac mortali vita vivit, quod sicut nec confirmatur in bono immobiliter, ita nec immobiliter obstinatur in malo. Pertinet igitur hoc ad conditionem humanae naturae ut ab infectione peccati possit purgari. Non fuit igitur conveniens quod divina bonitas hanc potentiam totaliter dimitteret vacuam; quod fuisset, si ei reparationis remedium non procurasset.

## CAPUT CC.

*Quod per solum Deum incarnatum debuit natura reparari.*

Ostensum est autem quod neque per Adam neque per aliquem alium hominem purum poterat reparari: tum quia nullus singularis homo praeminebat toti naturae: tum quia nullus purus homo potest esse gratiae causa. Eadem ergo ratione nec per Angelum potuit reparari: quia nec Angelus potest esse gratiae causa, nec etiam praemium hominis quantum ad ultimam beatitudinem perfectam, ad quam oportebat hominem revocari, quia in ea sunt pares. Relinquitur igitur quod per solum Deum talis reparatio fieri poterat. Sed si Deus hominem

sola sua voluntate et virtute reparasset, non servaretur divinae justitiae ordo, secundum quam exigitur satisfactio pro peccato. In Deo autem satisfactio non cadit, sicut nec meritum: hoc enim est sub alio existentis. Sic igitur neque Deo competeat satisfacere pro peccato totius naturae humanae, nec purus homo poterat; ut ostensum est. Conveniens igitur fuit Deum hominem fieri, ut sic unus et idem esset qui et reparare et satisfacere posset. Et hanc causam divinae incarnationis assignat Apostolus, 1 Tim. 1, 15: "Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere."

## CAPUT CCI.

*De aliis causis incarnationis Filii Dei.*

Sunt tamen et aliae rationes incarnationis divinae. Quia enim homo a spiritualibus recesserat, et totum se rebus corporalibus dederat, ex quibus in Deum per se ipsum redire non poterat; divina sapientia, quae hominem fecerat, per naturam corpoream assumptam hominem in corporalibus jacentem visitavit, ut per sui corporis mysteria eum ad spiritualia revocaret. Fuit etiam necessarium humano generi ut Deus homo fieret, ad demonstrandum naturae humanae dignitatem, ut sic homo neque daemonibus subderetur, neque corporalibus rebus. Simul etiam per hoc quod Deus homo fieri voluit, manifeste ostendit immensitatem sui amoris, ut ex hoc jam homines Deo subderentur non propter metum mortis, quam primus homo contempsit, sed per caritatis affectum. Datur etiam per hoc homini quoddam exemplum illius beatae unionis qua intellectus creatus increato spiritui intelligendo unietur. Non enim restat incredibile quin intellectus creaturae Deo uniri possit, ejus essentiam videndo, ex quo Deus homini unitus est, naturam ejus assumendo. Perficitur etiam per hoc quodammodo totius operis divini universitas; dum homo, qui est ultimo creatus, circulo quodam in suum redit principium, ipsi rerum principio per opus incarnationis unitus.

## CAPUT CCII.

*De errore Photini circa incarnationem Filii Dei.*

Hoc autem divinae incarnationis mysterium Photinus, quantum in se est, evacuavit. Nam Ebionem et Cerinthum et Paulum Samosatenum sequens, Dominum Jesum Christum fuisse

purum hominem asseruit, nec ante Mariam Virginem extitisse sed quod per beatae vitae meritum, et patientiam mortis, gloriam Divinitatis promeruit; ut sic Deus diceretur non per naturam, sed per adoptionis gratiam. Sic igitur non esset facta unio Dei et hominis, sed homo esset per gratiam deificatus; quod non singulare est Christo, sed commune omnibus sanctis; quamvis in hac gratia aliqui excellentiores aliis habeantur.

Hic autem error auctoritatibus divinae Scripturae contradicit. Dicitur enim Joan. 1, 1: "In principio erat Verbum;" et postea subdit: "Verbum caro factum est." Verbum ergo quod "erat in principio apud Deum," carnem assumpsit; non autem homo, qui ante fuerat, per gratiam adoptionis deificatus. Item Dominus dicit Joan. 6, 38: "Descendi de caelo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me." Secundum autem Photini errorem non conveniret Christo descendisse, sed solum ascendisse; cum tamen Apostolus dicat, Ephes. 4, 9: "Quod autem ascendit, quid est nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae?" Ex quo manifeste datur intelligi, quod in Christo non haberet locum ascensio nisi descensio praecessisset.

## CAPUT CCIII.

*Error Nestorii circa incarnationem, et ejus improbatio.*

Hoc igitur volens declinare Nestorius, partim quidem a Photini errore discessit, quia posuit Christum Filium Dei non solum per adoptionis gratiam, sed per naturam divinam, in qua Patri extitit coaeternus; partim vero cum Photino concordat, dicens, Filium Dei non sic esse unitum homini ut una persona fieret Dei et hominis, sed per solam inhabitationem in ipso; et sic homo ille, sicut secundum Photinum per solam gratiam Deus dicitur, sic et secundum Nestorium Dei Filius dicitur, non quia ipse vere sit Deus, sed propter Filii Dei inhabitationem in ipso, quae est per gratiam.

Hic autem error auctoritati sacrae Scripturae repugnat. Hanc enim unionem Dei et hominis Apostolus exinanitionem nominat, dicens, Philip. 2, 6, de Filio Dei: "Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens." Non est autem exinanitio Dei quod creaturam rationalem inhabitet per gratiam; alioquin et Pater et Spiritus sanctus exinanirentur, quia et ipsi creaturam rationalem per gratiam inhabitant, dicente Domino de se et de Patre, Joan. 14, 23: "Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus;" et Apostolo de

Spiritu sancto, 1 Cor. 3, 16: " Spiritus Dei habitat in vobis. „ Item non conveniret homini illi voces Divinitatis emittere, si personaliter Deus non esset. Praesumptuosissime ergo dixisset (Joan. 10, 30): " Ego et pater unum sumus: „ et (ibid. 8, 58): " Antequam Abram fieret, ego sum. „ *Ego* enim personam loquentis demonstrat: homo autem erat qui loquebatur. Est igitur persona eadem Dei et hominis. \* Ad hos ergo errores excludendos, in Symbolo tam Apostolorum, quam Patrum, facta mentione de persona Filii, subditur. " Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus, passus, mortuus et resurrexit. „ Non enim ea quae sunt hominis, de Filio Dei praedicarentur, nisi eadem esset persona Filii Dei et hominis: quia quae uni personae conveniunt, non ex hoc ipso de altera praedicantur; sicut quae conveniunt Paulo, non ex hoc ipso praedicantur de Petro.

## CAPUT CCIV.

*De errore Arii circa incarnationem, et improbatio ejus.*

Ut ergo unitatem Dei et hominis confiterentur quidam haeretici, in partem contrariam diverterunt, dicentes, Dei et hominis esse unam non solum personam, sed etiam naturam. Cujus quidem erroris principium fuit ab Ario, qui ut ea quae in Scripturis dicuntur de Christo, quibus ostenditur minor Patre, non nisi ad ipsum Dei Filium possent referri secundum assumptam naturam, posuit in Christo non aliam animam esse quam Dei Verbum, quod dixit corpori Christi fuisse pro anima: ut sic cum dicit (Joan. 14, 28): " Pater major me est, „ vel cum orasse legitur, aut tristatus, ad ipsam naturam Filii Dei sit referendum. Hoc autem posito, sequitur quod unio Filii Dei ad hominem facta sit non solum in persona, sed etiam in natura. Manifestum est enim quod ex anima et corpore constituitur unitas humanae naturae.

Et hujus quidem positionis falsitas quantum ad id quod Filium minorem Patre asserit, supra est declarata, cum ostendimus Filium Patri aequalem. Quantum vero ad id quod dicit, Verbum Dei in Christo fuisse pro anima, hujus erroris ex praemissis falsitas ostendi potest. Ostensum est enim supra animam corpori uniri ut formam: Deum autem impossibile est formam corporis esse, sicut supra ostensum est. Et ne forte Arius hoc diceret de summo Deo Patre intelligendum, idem et de Angelis ostendi potest, quod secundum naturam corpori non possunt uniri per modum formae, cum sint secundum naturam suam a

corporibus separati. Multo igitur minus Filius Dei, per quem facti sunt Angeli, ut etiam Arius confitetur, corporis forma esse non potest.

Praeterea. Filius Dei etiam si sit creatura, ut Arius mentitur, tamen secundum ipsum in beatitudine praecedit omnes spiritus creatos. Est autem tanta Angelorum beatitudo, quod tristitiam habere non possunt: non enim esset vera et plena felicitas, si aliquid eorum votis deficeret: est enim de ratione beatitudinis ut sit finale et perfectum bonum totaliter appetitum quietans. Multo igitur minus Dei Filius tristari potest aut timere secundum suam naturam. Legitur autem tristatus, cum dicitur (Marc. 14, 33), " Coepit Jesus pavere et taedere, et moestus esse: „ et ipse etiam suam tristitiam profitetur, dicens (ibid. 1, 34) " Tristis est anima mea usque ad mortem. „ Manifestum est autem tristitiam non esse corporis, sed alicujus apprehensivae substantiae. Oportet igitur praeter Verbum et corpus in Christo aliam fuisse substantiam quae tristitiam pati posset; et hanc dicimus animam.

Rursus. Si Christus propterea assumpsit quae nostra sunt, ut nos a peccatis mundaret; magis autem necessarium erat nobis mundari secundum animam, a qua origo peccati processerat, et quae est subjectum peccati: non igitur corpus assumpsit sine anima, sed quia principalius animam, et corpus cum anima.

## CAPUT CCV.

*De errore Appollinaris circa incarnationem, et improbatio ejus.*

Ex quo etiam excluditur error Appollinaris, qui primo quidem Arium secutus; in Cristo non aliam animam esse posuit quam Dei Verbum. Sed quia non sequebatur Arium in hoc quod Filium Dei diceret creaturam; multa autem dicuntur de Christo quae nec corpori attribui possunt, nec creatori convenire, ut tristitia timor et hujusmodi, coactus tamen fuit ponere quidem aliquam animam in Christo, quae corpus sensificaret, et quae harum passionum posset esse subjectum, quae tandem ratione et intellectu carebat: ipsum autem verbum homini Christo pro intellectu et ratione fuisse.

Hoc autem multipliciter falsum esse ostenditur. Primo quidem, quia hoc est contra naturae rationem ut anima non rationalis sit forma hominis, cum tamen formam corporis habeat. Nihil autem monstruosum et innaturale in Christi incarnatione fuisse putandum est. Secundo, quia fuisset contra incarnationis